



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. De securitate in populo his temporibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## CAPVT XXIII.

## ARGVMENTA.

1. *De securitate in populo hisce temporibus.*
2. *De duplicibus peccatoribus in mundo.*
3. *De carnalibus & Euangelicis malis hominibus.*

**M**agna securitas his temporibus in populo exorta est, vt amplius non timeant Deum, eiusque occulta iudicia, nec curant benè viuere, sed se fore saluos per inanem fiduciam ad Deum per Christum, & semper in ore habent Dei misericordiã propter Christum, viuunt interim carnaliter & plusquã gentiliter sine omni timore eiga Deum: & certè sic homines hodiè viuunt, nullum timentes periculum futurum, non aliter quã in diebus Noë erant homines edentes, bibentes, nubentes, & cetera quousque Deus iussit Noë intrare arcam, Matth. 24 Gen 7. Notandum etiã quòd duplices sunt peccatores in mundo, secundùm Apostolum 1 Corinth 5. Primi dicuntur peccatores huius mundi, id est, mundani, fornicarij, adulteri, auari, idololatræ, raptores, blasphemij, & cetera. In summa, omnes illi qui non sunt in Ecclesia Christi congregati, siue fuerunt gentes, siue Iudæi, & de illis qui totis sunt, inquit Apostolus, Iudicabit Deus, & Christus breuem tert super illos sententiam Ioan 3. Qui non credit, iam iudicatus est, id est, condemnatus ad æternam damnationem, licet adhuc super terram uiuat, sicuti homicida viuens, & in carcere positus, iam iudicatus est, id est, certissimum ei erit quòd ad mortem dijudicabitur. Illis peccatoribus extra Ecclesiam in præsentem dat Deus cuique secundùm iustitiam carnis hinc temporaliter: nihil autem in futura vita eos manet, nisi pœna & dãnatio eterna

quæ etiam iuxta gradus peccatorum plùs vel minùs pœnarum habebit. Hos nobiscum nutrit & permittit Deus viuere temporaliter, & solem suum atq; pluuiã donat, Matt. 7. quia vnà sicut nos, creaturæ Dei sunt, redempti quoq; sufficienter sanguine Christi, atq; ad salutem renati. Sed quoniam contemnunt Christum & nolunt illum regnare in se, Luc. 19. nec in illũ creduerunt, fiet illis secundũ verbum Christi, Matt. 20. & 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi.

2. Secundò sunt peccatores in mundo, quos Apostolus vocat quòd intùs sint, id est, in Ecclesia Christi, 1. Corinth. 5. licet tanquàm putrida membra, & sunt illi qui Christo fidem fecerunt in Baptismo, vt in illum velint credere, eumq; recipere vt Saluatorem & Deum, nullumq; alium quærere, neque aliam salutis viam nisi per ipsum, qui est via, veritas & vita, Ioan. 14. Deindè promiserunt Christo, se velle recusare pompis Diaboli atque eius operibus, non illis obedire, id est, superbix, auaritiæ, luxuriæ, &c. neque opera carnis perficere, Galat. 5. Sed potiùs illa mortificare in membris suis, atq; viuere secundũ Euangeliũ Christi, eiusq; præcepta seruare & cat. & quia hoc promiserunt Christo, idè remisit illis peccatũ, deindè dedit donũ maximum spiritum sanctũ, & promisit illis vitã eternam: & id per Sacramentũ Baptismi, tanquàm sigillum & pactum, inter Deũ & hominem confirmatum est, ita quòd Baptismus est signum fœderis vtriusque promissi, tam Dei quàm hominis, vt perpetuò & irreuocabiliter obseruetur, vt etiam si peccator ceciderit, attamen si per pœnitentiam veram redierit, & cassauerit à peccatis, iterũ reconciliari poterit, eò quòd hoc signum durat secum vsque ad mortem, scilicet Baptismus: non enim vult reuocare & cassare Deus, quod semel promisit, modo te agnoscas, & redeas, & peccare desistas, Deumq; timeas. Ex quo patet primò, quòd grauiùs peccat

malus